



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro secundo Decretalium : In Quo Ordo Judiciarius, Et Qvæ Ad Judicia Pertinent, Secundùm Utrumque Jus, Canonicum, & Civile Methodicè Tractantur, & Exponuntur ; Additus Est, Præter Synopticum Et Methodicum, Alius Index Alphabeticus A Pluribus Desideratus

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1675

Titulus. V. De Litis contestatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98191)

distingendum est, n. 15. Secundo, nec in causa appellationis, nec in aliis quibusdam, quae excipiuntur, num. 16.

§. V. Quando proponi debeat reconventio, & quomodo in illa procedendum sit? pag. 126.

ASSERTIO I. Reconventio proponi debet in exordio litis statim, id est, ante litis contestationem, vel immediatè post illam, n. 17. Assert. II. Si Reus conventus ab Actore eundem reconveniat coram eodem Iudice, potest Iudex etiam delegatus compellere Actorem ad respondendum, & utramque causam conventionis, & reconventionis simul; unam tamen incontinenti post alteram, cognoscere, & unâ sententiâ terminare debet, n. 18. & seq. Assert. III. Modus procedendi, qui observatur in causa conventionis, est etiam observandus in causa reconventionis, n. 20. & seq. quæ sit pœna Actoris, si nolit respondere ad libellum reconventionis portectum à Reo? num. 22.

SERIES CAPITULORVM.

IN ANTIQVIS. c. 2. num. 20. & duobus c. 1. n. 18. & seq. c. 2. num. 20. & duobus seqq.

TITVLVS V.

DE LITIS CONTESTATIONE. pag. 128.

§. I. Quid sit litis contestatio, & quo pacto inducatur, & an sit necessaria ad Iudicii substantiam? pag. 128.

ASSERTIO I. Litis contestatio est fundamentum Iudicii per petitionem (Actoris) in iure propositam, & congruam Rei responsionem secutam, animo contestandi litem, seu animo litigandi factam, n. 1. declaratur, n. 2. & pluribus seqq. Assert. II. Litis contestatio requiritur ad substantiam Iudicii ordinarij, ita, ut eâ omisâ, totus processus sit irritus, n. 8. & seq. in certis tamen casibus etiam sine illa Iudicium subsistit, n. 10.

§. II. De positionibus, & articulis, ac responsionibus, & quomodo à litis contestatione differant? pag. 131.

QUÆR. I. Quid sint positiones, & quomodo à litis contestatione differant? Resp. positiones sunt breves quædam narrationes, seu assertiones alicuius facti ad causam controversam pertinentes, super quo petitur ab adversario, ut respondeat, n. 11. differunt tum à libello, tum à litis contestatione; quia positiones nullam continent petitionem, sicut libellus, & litis contestatio, sed simpliciter narrationem factorum, n. 12. Articuli differunt à positionibus; quia illi sunt eæ positiones, seu assertiones, quas Reus conventus negat; ideòque ponens articulos, eos probare debet per testes, vel instrumenta, & positiones præcedere debent, articuli sequi, n. 13. differunt positiones etiam ab interrogationibus; quia illæ assertivè à parte litigante fiunt; hæ interrogativæ, & à Iudice, n. 14. Tam positiones, quam articuli continere debent ea, quæ sunt facti, non autem, quæ sunt juris: & positiones, ac responsiones in iudicijs ordinarijs in scriptis sunt offerendæ in Iudicio: item positiones, & articuli probatoriales circa causam principalem regulariter post litis contestationem fieri debent, n. 15. In Iudicijs

ordinarijs Iudex aliquando ante litis contestationem facere debet quædam interrogationes præparatorias, ad quas Reus respondere debet, n. 16.

QUÆR. II. Quomodo respondendum sit ad positiones, & articulos Actoris? Resp. eæ debent esse simplices, seu absolutæ, sine conditione, ad rem pertinentes, & claræ, n. 17.

§. III. An, & quando per oppositam exceptionem inducatur, vel impediatur litis contestatio? pag. 132.

QUÆR. I. An per oppositionem exceptionis, sive dilatoriam, sive peremptoriam, inducatur litis contestatio? Resp. 1. per oppositam exceptionem fori declinatoriam, seu dilatoriam non fit litis contestatio, n. 18. Resp. 2. neque per oppositionem exceptionis peremptoriam, n. 19. quando per oppositam exceptionem censetur litis contestatio facta? n. 20.

QUÆR. II. An, & per quas exceptiones impediatur litis contestatio, & quæ ante, vel post illam opponendæ sint? Resp. 1. omnes exceptiones dilatoriam, quæ tendunt ad impediendum processum iudicarium, ante litis contestationem, & causæ principalis cognitionem opponi debent, n. 21. ponuntur plures limitationes, n. 22. Resp. 2. exceptiones peremptoriae obiectæ ante litis contestationem, eam non impediunt, n. 23. & seq. ponuntur plures limitationes, n. 25. exceptiones peremptoriae sunt triplicis generis, n. 26.

§. IV. De effectibus litis contestationis, pag. 134. Plures enumerantur, n. 27.

SERIES CAPITULORVM.

IN ANTIQVIS. IN SEXTO. Cap. unic. num. 8. c. 1. num. 23. & seq. c. 2. num. 19. & seq.

TITVLVS VI.

UT LITE NON CONTESTATA, NON procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiâ definitivam. pag. 135.

Ponitur Regula generalis, quòd ante litis contestationem testes recipi non possint, nec debeant, neque sententiâ definitiva ferri, n. 1.

§. I. De nonnullis casibus in specie, & iure expressis, in quibus, lite non contestatâ, testes recipi non debent, nec sententiâ definitiva ferri. pag. 136.

ASSERTIO I. Si agatur de crimine adulterij ad separationem tori, vel restitutionem dotis, tum ante litis contestationem, etsi Reus sit contumax, non potest procedi ad testium receptionem, nec ad sententiâ definitivam, n. 2. & seq. Assert. II. Etiam in causa restitutionis contra contumacem, si litis contestatio non præcessit, sententiâ definitiva proferri non potest, num. 4. & duobus seqq. Assert. III. Si Reus, lite non contestatâ, contumaciter se absentet, Actor in possessionem rei mittendus est custodia causa: si verò mitti non possit, Reus contumax excommunicetur, num. 7. & duobus seqq. Assert. IV. Si in causâ matrimoniali testes recipiantur, ante litis contestationem, vel post appellationem, absque contumacia Rei conventi, receptio testium, & acta omnia sunt irrita, num. 10. & seq.

§. II. De